MISSA

In Festo

Sancti JOACHIM Genitoris B.mae M. V. Protectoris R. P. & M. D. L.

à S. R. Congreg. XI. Maji 1765. approbata.

Introitus *Eccl.* 44.

LAudemus Virum gloriosum in generatione sua, quia benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, & testamentum suum confirmavit super caput ejus.

Psalm. 111. Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur. Gloria Patri. Laudemus.

Oratio.

DEUS qui præ omnibus Sanctis tuis Beatū JOACHIM Genitricis Filii tui Patrem esse voluisti, concede quæsumus, ut cujus Festa veneramur, ejus quoq; perpetua patrocinia sentiamus. Per eundem Dominum.

Commem. Dominicæ occur.

Lectio Libri Ecclesiastici. cap. 44.

LAudemus Viros gloriosos, & Parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentiâ suâ à sæculo. Dominantes in potestatibus suis homines magni virtute, & prudentia sua præditi, nuntiantes in Prophetis dignitatem Prophetarum, & imperantes in præsenti populo, & virtute prudentiæ populis sanctissima verba. In peritia sua requirentes modos musicos, & narrantes carmina scripturarum. Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum.

Graduale *Psalm.* 111. Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur. Gloria & divitiæ in domo ejus, & justitia ejus manet in sæculum sæculi, Alleluja Alleluja.

℣. O JOACHIM Sancte, Conjux ANNÆ. Pater almæ Virginis, hic famulis confer salutis opem. Alleluja.

Initium Sancti Evangelii secundum Mathæum. *Math.* 1.

LIber generationis JESU Christi Filii David, Filii Abraham. Abraham genuit Jsaac, Jsaac autem genuit Jacob, Jacob autem genuit Judam, & fratres ejus. Judas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Esron, Esron autem genuit Aram, Aram autem genuit Aminadab, Aminadabab autem genuit Naasson, Naasson autem genuit Salmon, Salmon autem genuit

Booz

Booz de Rachab. Booz autem genuit Obed ex Ruth, Obed autem genuit Jeſſe, Jeſſe autem genuit David Regem, David autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Uriæ. Salomon autem genuit Roboam, Roboam autem genuit Abiam, Abias autem genuit Aſa, Aſa autem genuit Joſaphat, Joſaphat autem genuit Joram, Joras autem genuit Oziam, Ozias autem genuit Joathan, Joathan autem genuit Achaz, Achaz autem genuit Ezechiam, Ezechias autem genuit Manaſſen, Manaſſes autē genuit Amon, Amon autem genuit Joſiam, Joſias autem genuit Jechoniam, & fratres ejus in transmigratione Babylonis. Et poſt transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel, Salathiel autē genuit Zorobabel, Zorobabel autem genuit Abiud, Abiud autē genuit Eliacim, Eliacim autē genuit Azor, Azor autē genuit Sadoc, Sadoc autem genuit Achim, Achim autem genuit Eliud, Eliud autem genuit Eleazar, Eleazar autem genuit Mathan, Mathan autem genuit Jacob, Jacob autem genuit Joſeph Virum MARIÆ, de qua natus eſt JESUS, Qui vocatur Chriſtus. *Credo.*

Offertorium *Eccl. cap. 44.*

Dedit illi Dominus gloriam, & exaltavit ſemen ejus uſq; ad terminos terræ.

Secreta.

Suſcipe Clementiſſime DEUS, ſacrificium in honorem Sancti Patriarchæ JOACHIM Patris MARIÆ Virginis, Majeſtati tuæ oblatum: ut ipſo cum Conjuge ſua, & beatiſſima prole intercedente, perfectam conſequi mereamur remiſſionem peccatorum, & gloriam ſempiternam. Per Dominum.

Communio *Eccl. 44.*

Factum eſt illi teſtamentum æternum, & ſemini ejus ſicut dies cœli.

Post - Communio.

Quæſumus omnipotens DEUS: ut per hæc Sacramenta quæ ſumpſimus, intercedentibus meritis & precibus Beati JOACHIM Patris Genitricis dilecti Filii tui Domini noſtri JESU Chriſti, tuæ gratiæ in præſenti, & æternæ gloriæ in futuro participes eſſe mereamur. Per eundem Dominum.